Zur

öffentlichen Prüfung

am

14., 15. und 16. August

und zur

feierlichen Versetzung der Schüler

und

Entlassung der Abiturienten

am 17. Vormittags

ladet

alle Freunde und Gönner des Königl. katholischen Gymnasiums

der Rector Köhler.

Breslau 1827.
gedruckt bei Friedrich Wilhelm Grösel.

DE

SATIRIS HORATIANIS

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

FRANCISCUS ULLRICH.

Corrigenda:

P. 1. lege: peringeniosi, p. 2. ingeniosi, p. 8. ingeniosum. Reliqua, quae semel iterumque irrepserunt, errata velim excusari.

§. 1.

Carmina Horatiana, in quibus componendis vates ille Venusinus suum praesertim ingenium et morem secutus esse videtur, Satiras inquam atque Epistolas, perfectissimis Romanorum operibus esse annumeranda, ac praeceptorum plena, et sale et facetiis orationisque venustate conspicua multum habere utilitatis et delectationis, profecto neminem, qui cursim unquam sententiarum in iis perlustravit veritatem et primoribus saltem labris verborum gustavit dulcedinem, latere posse arbitror. Quamquam vero constat, Flaccum, qui primus inter Romanos satiras hujuscemodi et epistolas poetico sermone ornatas confecit, hoc genere poeseos eximiam inventoris peringenuosi laudem esse adeptum: tamen homines literati atque eruditi, quum orta est disceptatio, utrum ejusdem an diversi generis haec carmina sint aestimanda, semper in permagna erant varietate et dissensione, quinimo in contrarias plane distrahebantur sententias. *) Quae enim poemata qui recte perspexerint, partim tantam et rerum et verborum similitudinem admirabuntur, ut ipsi cum *Js. Casaubono* **) accedant opinionibus eorum, qui Satiras atque Epistolas uno eodemque genere satiricae poeseos complectuntur; partim talem sibi oblatam et orationis et, quae illa expressae sunt, sententiarum diversitatem intelligent, ut singulas istorum sermonum syllogas non formis modo, verum argumentis quoque distingui satius videatur.

Sed quum neque tempus, quo haec opera Horatius fecerit, neque titulus, quem iis tribuerit, lumen aliquod afferant, quid ipse poeta de illis judicaverit, cuique poesi addixerit: equidem, ut certam aliquam hujus rei cognitionem conse-

*) Conf. quae Doct. *Manso* de hac re disputavit, qui variis de satira Romana recensitis opinionibus Horatii Epistolas ab ethicis ejus Satiris nisi inscriptione non diversas esse putavit. Vid. Ueber die röm. Satiriker. In den Nachtr. zu Sulzer's allgem. Theorie d. sch. K. Tom. IV. Fasc. II. p. 409. u. w. praecipue p. 481.

**) Is enim in libro de satyrica Graecorum poesi et Romanorum satira: *ferendi non sunt*, inquit, *qui epistolarum libros Satirarum appellatione ac numero censent excludendos*. Vid. Ed. Rambach. pag. 229.

quar, viam, quam vir doctissimus *Morgensternius* *) jam ingressus epistolas a satiris forma quidem esse diversas contendit, denuo insistam, et quantulumcunque in me est ingenii diligenter inquiram, qua ratione satirarum, de quibus hic agitur, res et verba se habeant; namque ita genus earum, quale sit, melius erui posse censeo.

At me vestigia viri multo praestantioris pressisse actumque egisse noli increpare, benevole lector, remque vitio mihi vertere. Tametsi enim nec nova nec inaudita tanquam e fodinis hucusque occultis sum elaturus: tamen, quae viri docti et ingenuosi de numeroso illo Romanorum poeta subtiliter et eleganter disputarunt, ita, ut uno in conspectu videri possint, describere, et fonte, e quo haec carmina satirico sale conspersa manarunt, aperto, quantum possum, finem, quo commotus Flaccus juvenis sermone acerbiore majoreque dicacitate hominum vitia et errores aut ridendo aut castigando perstrinxerit, breviter exponere conabor.

§ 2.

Etenim si quaeramus, ex quo fonte rivus ille praealtus et decursu surgens salis facetiarumque, jocorum urbanitatis, lepidae orationis conformationis et passim acuti verborum lusus nunc rapido nunc leni lapsu per Horatii satiras defluxerit; hujus rei causam reperiemus ingenii acumen et hilaritatem aliquam ejus animo innatam, quae tandem educatione, qua a patre est institutus, et hominum, quibus puer utebatur, consuetudine in festivam abierat petulantiam et magnum in jocando creaverat leporem: quo quidem rebus in vita quotidiana ineptis ac ridiculis uno tanquam oculorum obtutu conspectis derisores, per lusum et jocum animi hilaritatem, ad suum quisque pulchri ac decori sensum, et pro rerum, quae ridentur, indole, vocibus tum asperis et protervis, tum gravibus et festivis exprimentes, potissimum ad irridendos homines adducuntur.

Quod vero ingenium ad sales atque lepores conversum ipsa, in qua primos pueritiae annos degit Horatius, vitae conditione auctum esse, pauca, quae poeta nobis de puerili aetate in suis libris tradidit, edocent atque confirmant. Mediocri enim loco natus maximam pueritiae partem transegit in Lucania pascuis abundante, ubi festis vindemiatorum diebus tales rusticorum permanebant lusus, a quibus romana satira Wachsmuthio auctore**) antiquitus originem traxisse creditur. Ut antea, sic eo, quo Flaccus puer adolevit, tempore, sacris deorum oblatis, agrestes, qui plerumque solemnia a patribus instituta quotannis iisdem ritibus et sine ulla mutatione celebrare solent, effusa laetitia ingenue quidem et petulanter, sed sine ira atque studio sermones inconditos et ab hilari ac soluto animo profectos jecisse,

*) In dissertatione de Satirae atque Epistolae Horatianae, ubi de titulis utriusque operis et tempore, quo ex Bentleji computatione scriptum sit, agitur. Vid. Not. p. 1 et 2.

**) Ueber die röm. Satire. Athenaeum Bd. 1. Hft. 2.

atque haud raro homines praetereuntes sociosque versibus incomtis lacessitos ludificati fuisse videntur. Quam opinionem Virgilius Georg. II, 385 et 386 probavit dicens:

Nec non Ausonii, Troja gens missa, coloni
Versibus incomtis ludunt risuque soluto.

His enim verbis, quibus solemnia vindemiae commemorans agrestium petulantiam atque lasciviam indicavit, *Ausonios*, vetustissimos Italiae colonos, qui maximam hujus terrae partem olim obtinuisse dicuntur, a *Thesidis* sive *Atheniensibus* distinguit, quorum dies festos in agris Baccho celebratos inde a versu 382 laudaverat:

Praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere, atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos saluere per utres.

Itaque morem modo descriptum non *patrium* tantum atque *domesticum* fuisse Maro profitetur, verum etiam et hoc loco et Georg. II, 527 coll. Georg. I, 358 ita rem enarravit, ut hanc quidem Italorum consuetudinem vel suo aevo viguisse conjicias, sed illam Graecorum oblectationem inter agricolarum solemnia tanquam rem perantiquam et obsoletam ab eo tantum memoria repetitam esse colligas. Accedit huc, quod *A. Guil. Schlegelius*, vir sane perillustris, in libro, quem de rei scenicae disciplina ejusque fatis sermone vernaculo composuit, *) inde ab omni tempore Italis dotem esse collatam incondita quaedam carminum prope modum jucunde, quamquam haud raro rustice quoque et dure, joculandi ac vultu gestuque congruente incomposita haec temere jaciendi, pro certo affirmavit. Quin ea, quae Livius lib. VII. 2 de prima ludorum scenicorum origine narravit, morem illum inconditis inter se jocularia fundendi versibus, a quibus non absoni motus erant, antiquitus in Etruria, postea vero per reliquas fere Italiae partes esse divulgatum, comprobare mihi quidem videntur. Hac igitur, quam liberius solutiusque laeti prae se tulerunt agricolae, petulantia et procacitate hilaritatem Horatii animo a natura tanquam insitam, jam puerili aetate excitatam et leporem illi nativum, quo etiam carmina ab eo annis provectiore multasque vitae aerumnas perpesso confecta, quasi vigore quodam perfusa, redundant, altum fuisse adauctumque, nobis cogitantibus, quicquid a pueris perceptum fuerit, altius in eorum pectora descendere, firmiusque in visceribus haerere, apparebit. Itaque si Horatius filius satirae romanae naturam atque indolem e laetitia populari, quae hoc carmen Romanis proprium peperit, tanquam e semente tenerrima jam aetate cognitam animo suo impresserit: profecto ad mentis acumen et sagacitatem, qua, quid honestum, quid bonum, quid turpe, quid malum sit, propere in rebus humanis discernimus, multum contulit consuetudo patris, qui filium exemplis de perversa hominum vita allegatis instituebat; hac enim educatione puerum Horatium mortalium vitia et errores, vitaeque perversitates majore quidem libertate, sed sine ira atque studio notare insuevit, quod ipse poeta Sat. I, 4. 103-106 profitetur:

---

*) Ueber dramat. Kunst und Literat. Theil 2.

Liberius si
Dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi juris
Cum venia dabis. Insuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.

Talem vero puerilis animi in vitia aliorum deridenda propensionem, quum deinde Horatius Romam a patre deductus Ennii et Lucilii satiras cognovisset, iis non tantum servatam, sed multum etiam amplificatam esse, sane non est, quod dubitationem relinquat. Nam ipsae jam a scena avocatae et ab Ennio in sermones retractatae satirae sic exponebant res, quasi agerentur, et scenicarum fabularum indoli atque virtuti mirum in modum similes dramatum affinitatem minime deposuerant: itaque harum satirarum argumenta et omnis orationis sonus idemque stilus Flacci adolescentis ingenio ad id genus poeseos proclivi et allecto quam maxime convenerunt. Quin haud scio, an non etiam, quem praeceptorem habebat, Orbilius Pupillus, si qua fides adjungenda est Suetonio, *) qui hunc grammaticum *ne principum quidem virorum insectatione abstinuisse* tradit, ut lepor ille festivus, parens tanquam satirae atque lumen, laetius adolesceret, contulerit, etsi hominem istum plagosum in eos, quorum sibi mores carpendi videbantur, simul bile commota iram odiumque, quae a vera abesse debent satira, profudisse, ex ipsis Suetonii verbis colliges.

Caeterum ex hac singulari, qua poeta noster eminebat, ad satiras naturalis ingenii dexteritate facetam quoque *ironiam*, quae passim, maxime in carminibus serius in lucem editis, lepide ac festive cavillationem leniret, et ubi ea prodire nec posset nec deberet, effunderetur, provenisse, ex re ipsa liquet: quam igitur virtutem Horatii animo insitam Maecenatis consuetudine, apud quem id genus confabulationis viguisse videtur, miram omnino suavitatem nactam, sed non natam esse, recte monuit Wilandus. **)

§. 3.

Quodsi his dictis patet Horatii animi affectionem ad satiram propensam ab indole, tenerrima aetate suscitata et decursu temporis culta, profectam esse: sane temporum et civium sentiendi agendique rationes, quae ejus menti valde repugnabant, effecerunt, ut juvenis satirarum scriptor prodierit, quibus, ut rustici nimia hilaritate perfusi dicace et incomta cavillatione jocum sibi movebant, sic Horatius nec morosa nec maledica vitiorum irrisione, sed nata ex hilari rerum humanarum contemplatione, ut damnum spe ad irritum redacta acceptum quasi pensaret, se ipsum delectavit. *Me pedibus delectat claudere verba Lucili ritu*, ipse profitetur poeta Sat. II, 1, 28; trahit enim sua quemque voluptas, quam sententiam praemisit his verbis exornatam: *quot capitum vivunt, totidem studiorum millia.*

---

*) Vid. Suetonii lib. de illust. gram. c. 9.

**) Wieland's Einleit. zu Epist. I, 1.

Rem ita se habere, non dubitabit, qui animum adverterit ad honestatis, qua Horatius educatione patris est imbutus, virtutisque sensum, qualem simplex illa, sed literarum studio tanquam perpolita veterum Romanorum probitas, Flacco nostro propria, requirebat, eumque comparaverit cum morum illius aevi turpitudine, quam immodica voluptatum titillatio et hominum plurimorum tunc Romae viventium lucri studium genuit.

Etenim quum primos pueritae annos Horatius non solum in domo paterna cum patre probo transegisset, sed gente quoque usus esset labori assueta et morum integritati addicta, eaque digna, quae in descriptione *) verae felicitatis, quam praebet vitae rusticae frugalitas, documentum probitatis inter agrestes proponeretur: haec ipsa res multum ad ejus mentem excolendam contulisse videtur. Maxime vero pater, qui filio praeclaris naturae dotibus instructo praeprimis verum, quo ipse gaudebat, Romanorum animum instillare conabatur, ne vis quaedam infesta castum pueri animum quasi venenis malis imbueret, curam adhibebat, exemplis, quae bona sint, quae mala, docens. Ita, quid virtus prosit, quid obsit vitium, velut sub adspectum venit Horatio, quae igitur rei cognitio, quo vegetior fuit, eo altiores egit radices. Vitae enim integritas, suavitas humanitatis, fortitudo continentiae et constantiae gravitas, quas virtutes postea multis carminibus laudavit, sagaci ipsius menti in variis vitae conditionibus saluberrimos tulerunt fructus, sicuti vitia illis virtutibus opposita tanquam pestiferi felicitatis humanae confectores ejus animo obversabantur.

Si quis autem praecepta, quae Horatio Sat. I, 4, 107 - 120 a patre tradita leguntur, diligenter circumspexerit, illum vel postea, quum Romae literarum studio se dedisset filius, ei gravem atque diligentem honestatis custodem, ne scelerum tunc in urbe invalescentium undis periret, adfuisse conjiciet. Qua conjectura me a veritate non aberrasse, egregius ille locus Sat. I, 6, 62 - 78, ubi Maecenatem allocutus aperte omnium, quae in suis moribus laude digna appareant, fontem aperit, comprobare videtur.

Itaque pater dum egestate magis, quam opulentia praeditus, ut filius Romae mentem bene et progressioni eo tempore in literarum studiis factae convenienter excoleret acueretque, omnem impendebat operam: ne simul vita molli ac delicata animi robur, quo Romani antiquae probitatis inter aequales excelluerunt, in eo infringeretur, et ista vanitate, quae pestis instar cum barbarorum opibus et doctrina in Reguli et Catonis domicilia allata Romanorum medullam exedebat, carissimus sibi adolescens levissimis atque ineptis hominibus, prava eruditione elatis, quibus Roma luxuria diffluens et moribus soluta abundabat, jungeretur, summa vi ac severitate praecavebat. Quae quidem educatio prudenti ac sedulo patri, quo minus pretium Romani depravati statuerunt virtuti, eo magis laudi est; obcaecati enim falsa opinione, hominem conciliata sibi arte divitias honores, populique gratiam comparandi, sine ulla virtutis aestimatione bene vivere posse, existimaverunt.

---

*) Vid. Horat. Epod. 2, 41, 42.

Quum igitur homines, quibus Horatius, quum adolesceret, familiariter utebatur, et qui proximi vivebant Venusii vitam degenti, civium plurimorum tunc in urbe viventium vestigia non persequerentur, sed plane diversa affectarent, etiam illius sentiendi cogitandique ratio a romanae juventutis consuetudine atque studiis abhorreret necesse fuit. Juvenes enim romani potissimum, ut facilius ad summum honoris et voluptatis fastigium eveherentur, suasque libidines explerent, in literas incumbentes eloquentiam sibi comparabant; at Horatium praeceptore duce et Homeri carmina et omnes artes liberales, non ut ex iis tantum orationis elegantiam et bene dicendi artem cognosceret, sed ex animo, quo gaudebat, pulchri ac decori studioso etiam res pertractatas diligentissime considerando mentem acueret, et indies, quod honestum, quod turpe sit, melius perciperet, summa sedulitate didicisse, non negabit, qui unquam intellexerit, fortitudinis et constantiae, justitiae et aequitatis, moderationis ac patriae amoris et reliquarum, quibus hominum libertas atque salus vindicatur, virtutum exempla, quo magis vis imaginandi gravibus et exquisitis incitatur verbis, eo vehementius animum honesti amantem movere. Ita res a Graecis bello trojano fortiter ac praeclare gestae et venustis carminibus enarratae multa sane et imitanda in mentem revocarunt romanae virtutis exempla, quae Horatio pater antiquo more eximius, simplice quidem, sed gravi oratione expressa, a libera Romanorum civitate, quum maxime floreret, assumta ex eodem consilio allegaverat, ex quo ad ea, quae tunc sive laude sive vituperatione digna habebantur, filii animum advertit.

Quid igitur mirum, si Flaccus noster, quum adultus vitam communem civium discordium vidisset, quae specimina hominum libere sentientium et magnanimorum e veterum Graecorum Romanorumque documentis ceperat, nuspiam in re publica cerneret. Tetris enim bellis, quae nimia avaritia et immodica honoris gloriaeque cupiditas conflaverat, veterem rerum publicarum administrationem, qua servata patriae salus sibi fulta videbatur, quotidie magis labefactatam conspexit, unde factum, ut timore, ne antiqua civitatis forma plane corrueret, juvenis Horatius pristini rerum status eo studiosior, ut ad communem salutem restituendam, quantum potuit, conferret, impelleretur. Quapropter Horatium summo patriae amore incensum, et, ut pro viribus ruenti civitati opem ferret, ardentissime optantem, Athenis, quas nobiles Romani, ut literis artibusque vacarent, illa tempestate frequentabant, studiis operam navasse, atque quum M. Brutus, bello civili exorto, cum bonis civibus in Macedoniam proficisceretur, et hoc in itinere cum multis, qui tunc Athenis commorabantur, juvenibus, quorum unus Horatius erat, ut vindices libertatis augeret, se conjungeret, pro communi libertate arma cepisse, equidem censeo: quamquam plurimi, ut conjunctionem, qua postea poeta noster Augustum imperatorem attigit, cum hac militia consentientem viderent, Horatium nisi prudentia, ut a calamitate instante se defenderet, commotum a Bruti partibus non stetisse, contendunt. Nam ignave belli fortunam exspectare, et turpiter inter pugnantium partes fluctuare, hominis esse non solet, qui ea, qua Horatius gaudebat, educatione eruditus maximo ardore, quod aequum est, consequi studet. Caeterum qui accurate hujus poetae carmina perscrutatus fuerit, eaque perpenderit, quae de rebus humanis cogitavit, quemque animum firmum et constantem in ipsa Maecenatis et Augusti familiaritate prae se tulit, vix unquam

illorum opinioni accedet, qui Horatium inertem suis tantum rebus consuluisse volunt; etsi enim Augustum summum tanquam munus a diis in tanta rerum perturbatione hominibus delatum esse putavit, tamen ne humili adulatione ejus favorem captaret, et sui juris esse negligeret, magnopere cavebat. Ut igitur officio boni civis satisfaceret, ad exercitum eorum, qui patriae libertatem vindicaturi fuerunt, se applicuit, et animi cultu et Bruti, qui justam defensurus videbatur causam, partium studio mox insignis ab eo tribunus militum est electus.

Jam vero licet eventus hujus rei voluntati, qua Horatius militiam auspicatus est, minime respondisset, quod in pugna ad Philippos commissa trepido agmine abreptus terga hostibus dedit: tamen, id quod jam *Lessingius* affirmavit, ob casum illum tam tristem, tamque adversum Flaccum de ignavia, (quae quidem, si vera esset, hanc omnino disputationem plane refutaret,) non accusabis. Etenim Carm. II, 7, ubi Quintus noster illius fugae mentionem fecit, rem ita narravit, ut lenem aliquem et tanquam suppressum de fatali militum sorte, qui pauci liberam civitatem defendentes interierunt, verbis admixtum credas dolorem, quod quidem ipse, uti Hector et Aeneas aliquando a Venere atque Apolline praesenti periculo sunt erepti, relicta non bene parmula, per hostes Mercurio favente est sublatus, sed fracta virtute Cassius et M. Junius Brutus turpiter ceciderunt.

Quo mortuo prisca quoque romanae reipublicae forma a L. Junio Bruto instituta, quasi sors publica privatae Juniae gentis esset juncta, temporum iniquitate atque injuria misere est soluta, imo pravis ubique Romanorum moribus de bonorum civium paucitate, quae propter honestatis ac fortitudinis penuriam jam inde ab initio belli major fuerit, quam quis ex numero illorum, qui lucri studio aliisque causis nomina dederant, crediderit, rebus adversis, quae deinde civitatem vexabant, Horatius satis est persuasus. Simul hic rerum exitus, patriae salutem non tam renovata senescente jam civitatis administrandae forma, quam renata populi romani honestate redituram esse, docuit. Quapropter iis, qui victori se dederunt, impunitate decreta Horatius quoque Romam redux id egisse videtur, ut, quod armis praestare non potuit, Musarum ope perficeret.

Quamvis autem Horatius de causis, quae fundamenta reipublicae everterunt, tranquillo animo cogitare consuevisset, et singulare prudentissimi ac fortissimi Augusti imperium, si eo bella civilia, et, quae ex iis nascebantur, mala sedarentur, Romanis fore saluberrimum intellexisset: tamen istae rationes temporum necessitate obtrusae menti ipsius non convenerunt, sed in animo libertatis amante moerorem quendam ipsis tanquam visceribus inhaerentem progenuisse videntur, id quod passim tristi aliquo praeteriti temporis desiderio tacitus in suis carminibus indicavit. Ita res quum se haberent, homo aegritudine et tristitia animi afflictus aut ab omni mortalium, qui tanta animi dissimilitudine ab eo discrepabant, consuetudine abhorruisset, aut gravissimis jactatis querelis eos quam vehementissime reprehendisset: at lepor ille festivus, quo Horatius excelluit, ut rerum humanarum vanitatem placido vultu derideret, effecit. Ubi enim hominum vitia atque errores Horatii sentiendi cogitandique rationi repugnabant, et quae inepta stolidaque sapienti apparent, ab homine aliquo stulto et insulso veluti res eximiae ac praeclarae laudabantur, poeta

ista mortalium stultitia et dementia non exacerbatus, sed ad risum motus est, quo se ipsum delectabat. Leniebat igitur sibi temporis acerbitatem satiris scribendis, quarum sale et facetiis quum vinceret omnes, se mentis acumine et hilaritate praestare declaravit.

Namque talem animi oblectationem unice spectasse videtur Horatius, quum septimam libri primi satiram scriberet, quae ex opinione grammaticorum prima est composita, postquam poeta juvenis anno 713 a. u. Romam redux huic carminum generi operam navare incepit. Acerbiore hominum, quos proterve nominibus appellavit, irrisione conspicua haec satira rem ab iis, quibus multum et familiariter uti solebat Flaccus, repetitam ob oculos ponit, siquidem Scholiastae,*) quos Heindorfius a Wilando rei veritatem refellente defendit, vere nuntiant, P. Rupilium Regem Praenestinum in exercitu Bruti tribunum fuisse militum et Horatium commilitonem honore sibi parem aegre ferendo generis ignobilitatem ei saepius exprobasse, etiamsi alias multorum hominum ineptias hac satira poetam simul perstrinxisse nemo infitias ibit. Idem noster quaesivisse videtur Sat. I, 5, quam quidem maxime, ut sociis itineris a Roma usque Brundusium facti jocum moveret, scripsit Lucilium aemulatus, qui in tertio libro iter descripsit, quod primum a Roma Capuam usque, et inde fretum Siciliense fecit **). Simile quid forsitan praedicare liceat de Sat. I, 8, qua poeta artes magicas, quas noctu meretrices duae, Canidia ejusque socia Sagana, exercebant, acerbiore oratione usus derisit.

Sed honestatis, quae in Horatio inerat, studium cum egregio civium amore conjunctum, ut praeter sui ipsius oblectationem, quae ab ejus mente re quadam ridicula conspecta est repetenda, externam quoque utilitatem satiris appeteret, eum compulisse, per se liquet: est enim hominis levioris, quicquid in hominum vitiis risum dat, hilari et lepido animo, quin prosit hominibus, ludificari, hominesque risu non sunt exacerbandi, sed praeceptis edocendi. Rideat igitur sapiens stultitiam atque nugas, seque sale et facetiis superiorem praebendo delectetur, sed simul jocando et ineptias perstringendo doceat virtutem, quae una veram vitae felicitatem largitur. Ita se gessit Horatius, poeta satiricus, qui, ut ex satirarum, quae ad nos pervenerunt, argumentis videri licet, vitia ridendo Romanorum sibi aequalium mores corrigere et emendare voluit. *Virtus est*, ait Flaccus,***) *vitium fugere; et sapientia prima, stultitia caruisse.* Recte igitur monuit vetus ille carminum Horatianorum interpres, quem Cruquius citat: *in his duobus sermonum libris generalis Horatii intentio est carpere vitia, ut ab his deterriti homines invitentur ad mores bonos.*

§. 4.

Neque fugit vatem nostrum peringenuosum, liberiorem antiquae satirae sermonem, quo uti Lucilium florente liberà Romanorum civitate haud frustra sibi

---

*) Conf. Schol. Cruq. Acronem et Porphyrium.

**) Vid. Schol. Porphyr.

***) Epist. I, 1, 41. etc.

sumsisse constat, parum aptum esse temporibus, quibus levitas procerum et regum adulatoribus conveniens una cum facilitate quadam divitum libidinibus indulgendi libertatis in oratione ac fortitudinis constantiaeque locum tenebat. Itaque non res tantum ipsa romanae satirae natura propositas retractavit, ut moribus jam perpolitis, id quod ex parte Ennius, maxime autem Lucilius efficere voluit, non corporis vitia imitando velut effingeret, eaque ludibrio haberet, (cnjus rei vestigia perrara sunt in satiris Horatianis), sed stultitias erroresque ex animo profectos, quibus antiqui Romanorum mores praecipites ire coeperunt, iterum atque iterum omni modo carperet, more poetarum, ut in animi sensu res poneret, vivida oratione usus; verum etiam raro atque caute, plerumque vulgarem civium sententiam callidus in rem suam convertens, tanquam acerba hujusce modi notatione, quid antiquitus valeret satira, in lectoris memoriam revocaturus, nominatim vivos commemoravit homines.

Oculos igitur conjiciens ad animi humani vitia, errores, stultitias, malas adsuetudines ac falsas inveteratasque opiniones et leviter tantum perstringens vitia in conversatione mortalium insignia, quaeque indecora victu ac vestitu offendebant urbanitatem, hilari mente et lepore Romanorum vitam percurrit, ridendoque pugnat cum ineptiis et amentia, quae propter incredibilem tunc temporis hominum perversitatem ubicunque locorum grassabantur. Quas vero res Horatius in satiricis suis carminibus potissimum reprehendit, ipse Sat. I, 4, 25-35 recensuit.

Invidia enim et malevolentia; avaritia, luxuria et vita Asiatico more delicata; inepta atque turpis consuetudo, qua ipsi inanes permulti homines ex aliorum arbitrio et aestimatione se nimis pendere patiebantur; vecors illud studium, quo homines in suis ipsorum vitiis connivebant, in alienis autem videndis acumine oculorum valebant, nulla habita ratione virtutum, quibus ipsi reprehensi nonnunquam objurgatores antecesserunt; nimia hominum elegantiorum studia; stoica magniloquentia, qua nonnulli homines inepti de virtute tum insolenter gloriabantur, et quae a stoicis circumferebantur sententiae mirae atque inauditae; molestia hominum, qui garrulitate et vana jactantia Horatium, Maecenatis delicias, paene occidebant; testamentorum captatores, quorum numerus ob multos tunc Romae senes caelebes ac sordibus infames permagnus fuit; mentis inconstantia et mutabilitas, quae passim tanta reperiebatur, ut ne in vitiis quidem sibi pares essent Romani; omnes denique homines libidinosi et amores meretricii, quibus mulieres depravatae ea tempestate erant famosae — haec et permulta alia hoc genus vitia carpsit satiris suis et derisit Horatius, ut homines, his ineptiis atque vitiis perceptis, ab iis abhorrerent, et ab erroribus revocati in humanitatis honestatisque viam redirent.

Ad quod Horatius si non tetendisset, ut mores hominum sibi aequalium emendaret: omnino, quum haec carmina plurimis Romanorum displicere, iisque timorem, ne Lucilii vestigia petulantia et protervitate persequeretur, injicere multis querimoniis intellexisset, si non omne hujus poeseos genus abjecisset, rem certe selegisset ad cives Romanos delectandos idoneam quidem, sed acutis illorum naribus non molestam. Talis enim res haud unquam defuit poetae ingenioso,

quippe qui non gentem romanam, sed barbarorum ineptias atque errores risui exponere, vel saltem nugas, quae parum singulorum animos atque amores pungerent, dulci urbanitatis lepore tanquam sale perspergere et veritatem fuco quodam fallace illinire potuit: his re vera artibus poeta effecisset, ut eadem, qua Lucilii carmina dura atque aspera, imo saepe contumeliosa et procacia illo tempore in manus sumebant, (nam defuncti irridebantur), oblectatione etiam Horatianas pervolvissent satiras; ineptus enim quisque suam aegre fert objurgationem, aliena gaudet. At tantum abfuit, ut populari aura a vero et honesto abduceretur, ut Sat. I. 4; 10 et II, 1 genus suum satiras scribendi defenderet, et professus, salem, quem adspersit, non nigrum, sed vere satiricum esse, seque non mordacem nemini nocere, Romanorum impatientiam ad leviorem quandam reprehensionem perferendam castigaret, laudans majorum ingenuitatem, qui mentis integritatis sibi conscii cum Lucilio derisore riserunt et vitia carmine notata taciti posuerunt. Idcirco forti et constante animo hunc vatem in via, quam ingressus erat, procedere et in ipsis, quae non aeque ac satirae vitiis corrigendis continentur, carminibus cum praecipuis, quae gentes in perniciem detrudere solent, malis luctari videmus. Haud dissimilis lascivo et petulanti colono, qui incomto sermone genio suo indulgens, quisquis ei obviam fit, per ludum et jocum placide vexat, Horatius ex rerum copia, quam consilio certis quibusdam et arctioribus circumscripserat terminis, extra quos egredi sibi non licebat, vitium quodcunque a perversis Romanorum animis profectum seligebat, selectum mentis lumine illustrabat, sed quae sensim hujus contemplationis luce manca, quae prava elucebant, lepida et festiva oratione, verbis exquisitis et multis sententiis ornata exprimendo, quamvis totus in illis et eximia imaginationis atque leporis vi praeditus, tamen pulchri et decori sensu duce modum non unquam excessit.

§. 5.

Itaque ex hac rerum farragine *) in quolibet id genus carmine modo longiores, modo breviores enatae sunt sententiarum series, quae primo quidem adspectu nisi casu et fortuito sese excipere non videntur: sin autem rem ad vivum resecueris, ubique sententiam primariam, quae deprehenso vitio aliquo vel errore mente concepta est, totius satirae summam esse et cum singulis suis partibus cohaerere non negabis. Pervoluta enim, ut exemplum supponam, satira sexta libri secundi poetam videbis dulci fruentem otio in agello suo Sabino et laetum,

---

*) Not. A rerum farragine, qua hoc genus carminum continetur, illis *satirae* nomen apte datum est. Est enim *satura*, *lanx* si reticetur, genus quoddam paropsidis variis frugibus ac pomis refertae, quae sacris Cereris et Bacchi tanquam totius anni primitiae offerebatur, et a rerum copia et saturitate vocabatur simpliciter *satura.* Coll, Virg. Georg. II, 393-394. Itaque carmen est varii argumenti, immutata litera, *satira* pro *satura,* ut *optimus* pro *optumus* etc. appellatum. Sunt etiam, qui vocem *lex*, (uti *leges per saturam ferri* dicuntur,) aut *res* intelligi contendant. *Festus* satiram vocat genus carminis, ubi de multis rebus disputatur; *scholiastes* Horat. Sat. I, 1 nomen derivat ab ebriis hominibus: *Alii rursum*, ait, (satirae nomen imponunt,) *quod ita convitia et crimina hominum libere invadat*, *ut saturi, i. e. ebrii solent homines dicteriis aut contumeliis afficere.* Cf. Isidor. orig. Vid. Wachsmuthii Athenaei Vol. I, fasc. II. über die röm. Satire.

quod tandem Roma relicta a vitae urbanae molestiis remotum iis, quae maxime in votis erant, se totum dare licuit. Cujus rei dulcedine commotus profitetur, sibi, quod diu maxime in votis habuisset, modicum et amoenum agrum contigisse, quam ut frugalitatem paucis contentam Mercurius hoc munere servato et grege aucto remuneraretur, salse est precatus: *Pingue pecus domino facias et cetera praeter Ingenium.* Solutus igitur ab infinita officiorum multitudine, quae quidem eum in urbe a prima luce modo huc, modo illuc rapiebant trudebantque, faceta delectatur narratione negotiorum, quae *aliena centum per caput et circa saliunt latus*, eamque prae primis recenset vitae urbanae molestiam, quae suo ipsius ingenio gravissima videbatur, cupiditatem inquam et studium hominum importunorum, qui Flaccum, quid novi acciderit, consulere solebant obvii, et Deos quoniam propius contingebat, per eum, quamquam nisi confabulatum non accessit*), se Maecenatis et Caesaris Octaviani favorem consecuturos esse sperabant.

Nec minus hac satira deridet eos, qui ipsi tanquam nimis Maecenatis gratiae studioso vel corporis motum atque incessum vitio vertebant invidiosi. Quid enim salsius, quam mentio irati hominis facta, qui Horatium, quum mane turbida tempestate alicui sponsor adfuisset, e foro redeuntem et in turba hominum luctantem, quod tarde procedentem vi submovere cogebatur, his opprobriis insectatur: *quid tibi vis, insane, et quam rem agis improbus?* Postquam ventum est ad Maecenatem, ecce, servus aliquis in domum intranti refert, Roscium amicum, ut cras in re pecuniaria adesset, orasse, ipsosque scribas, quorum unus fuit Horatius, ut hodie de re magni momenti a coena ocius reverti meminisset, ac tabellas a Maecenate consignandas curaret, esse obtestatos.

Qua mentis hilaritate poeta sese delectans levissimas quasque vitae urbanae nugas petit, et quot quantaeque molestiae eum quotidie in urbe vexent, lepide describens, se his ineptiis distractum summo desiderio vitam rusticam, morum integritatis, sapientiae et continentiae, ideoque verae felicitatis sedem appetere fatetur. Denique festivae huic orationi finem imposuit fabella, qua Cervius rusticus, quum Arellius vicinus sollicitas ignarus urbis opes laudaret, ibique maximas homini contingere delicias stultus crederet, adulterinam hanc opinionem refutabat, narrans, ut olim a rustico mure urbanus hospitio fuerit exceptus, qua simul satirae dispositione poeta, ut in extremo carmine argutissimam sane rerum, quas salse percurrit sententiosus, enumerationem adderet, summa cum orationis concinnitate effecit. Sed omnis haec sententiarum farrago, quam mira et quasi conglutinata potius, quam composita prima specie appareat lectori necesse est, tamen *una* est et *simplex*, omnes enim, quae vario sermone exornatae in hoc poemate leguntur, sententiae in laeta animi tranquillitate, quam frugalis vitae rusticae integritas homini simplici instillare debet, tanquam in cardine vertuntur: haec enim vita agrestis mortalem reddit paucis contentum, conservat illum mente et corpore sanum, ejusque vitam plerumque longius producit**).

*) Sat. II, 6, 42-46.

**) Conf. Sat. II, 6, 18 et 19.

Quod autem ab initio carminis facete dictum reperimus, Horatium accepto agello voti compotem esse et felicem, eo elegantem sane inter splendidam urbium miseriam et contemtam agrorum felicitatem intercedere comparationem equidem censeo: quem enim in agro Sabino beatissimum admiramur, eundem in urbis frequentia miserrimum lugemus. Maxima oppido laetitia commorabere singula quaeque hac in praeclara imagine meditans, cui tanquam picturae lepore scriptor induxit colores, et perfectissima arte lumina custodivit et umbras, ut difficile sit dictu, utrum orationis ornamenta et lumina, quibus haec satira distinguitur, an pulchri venustique sensus, quo poeta praecelluit, majore te afficiant admiratione; vultus autem severior, quo mentis oblectationem laboribus vitae urbanae tandem perfunctus vates astute celat, jocum et facetias auget, quae in omni hoc carmine vigentes nuspiam asperiores scatent, ut, quod celsissimus Heindorfius *) in hujus satirae praefatione de hac re disputavit, tantum, si reliqua hujus generis carmina, quae mordaciora multo sale multaque ironia conspersa nobis exstant, comparaveris, verum esse consentias, quippe quum non singula, quibus fucatas oppidanorum voluptates descripsit, verba sint acerba et ludicra, sed omni sermonis tenori lepidum aliquod ludibrium insitum esse videatur.

Itaque primus fuit Horatius, qui singulari, quo praestabat, ingenio, ut secundum artis poeticae legem *una* evaserit et *simplex* haec rerum farrago, persecutus est. Licet enim satirae romanae, qualis a principio fuerit, convenienter multa et varia, quae in hominum sibi aequalium circulis inepta et jocularia conspiciebat, his carminibus condiderit ac composuerit: tamen sententia, quae primaria veluti mater festivae, quam in satiris miramur, rerum varietatis cognoscitur, singulas cujusvis poematis partes, ut concinne sese excipiant, quasi furtiva et abscondita connectit et totum aliquod numeris suis perfectum efficit. Sic omnino, addita hac virtute, ut unum esset carmen satiricum, rite tuitus est Horatius speciem antiquae satirae, quae varia et incomta oratione insignis temere et acerbe hominum vitia risui dedit. Ipsi versus hexametri, quibus satirae Horatianae scriptae sunt, quam maxime, ut pedestri sermoni essent simillimi, ab heroicis diversi, fecerunt, ut ex metro quoque hoc carmen *unum* esse cognoscamus; Lucilius enim, quem Horatius secutus est, hexametris iambos admiscuit antiquis Italis proprios, etsi quaedam uno eodemque metro ab illo composita exstitisse carmina negari non potest.

Quam vero sententiam primariam sive cujusvis satirae summam, quae singula vinculi instar conjungit, quaque perspecta demum, quid velit poeta, intelligitur, ab initio carminis scriptoris animo tanquam regulam obversari per se liquet, sed progrediente oratione distinctius expressa et magis perspicua atque evidens reliquis, quae commemorantur, rebus veram det lucem necesse est. Sic Horatius Sat. I, 2 M. Tigellii Hermogenis, celeberrimi tunc Romae cantoris atque nobilissimo cuique et propter vocem eximiam et in jocis urbanitatem hominis ac-

*) Des Q. Horatius Flaccus Satiren erklärt von L. F. Heindorf. Breslau b. I. F. Korn 1815 p. 379. in der Mitte: *von Spott und Scherz ist hier kaum eine Spur.*

ceptissimi, mortem a faece populi lugeri exorsus, isto decoctore mente informato, adeo permotus est, ut complura istius modi hominum genera animo complecteretur, qui luxuriae libidinibusque immersi aut sordibus et veste obscoena notandi stulte, dum vitia quaedam fugiunt, in contraria incurrunt, quod aliorum arbitrio obnoxii non honestatis studio, sed ludibrii metu vitiis, quae derideri putant, abstinere conantur. Qua hominum stultitia recte perpensa poeta deinde proponit sententiam, homines, qui vitia vitiis evitare velint, in gyrum duci, eamque v. 24 distincte his vesbis exornat: *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

Similem videbis oeconomiam satirae tertiae et quartae, quarum illius nascitur exordium ab eodem aspere notato Tigellio, unde poeta sermonem per Maenium quendam, qui *absentem Novium dum carperet,* interrogatus: *Heus tu, quidam ait, ignoras te, an ut ignotum dare nobis Verba putas?* reposuit: *egomet mi ignosco*, turpi allata excusatione hominum acerbiorum in suis ipsorum vitiis conniventium, sed in alienis pervidendis bene valentium oculorum acumine, tandem ad eam, qua omnis haec satira continetur, sententiam: *stultus et improbus hic amor est dignusque notari*, deflectit carpendo nimiam istorum malignitatem. In quarta denique satira sententiae: olim Lucilius, quaecunque peccarunt Romani, multa cum libertate notavit, praemissa est enumeratio priscae comoediae scriptorum, quorum praecipui nominantur *Eupolis, Cratinus, Aristophanesque poetae.**)

Neque in reliquis hujus generis carminibus, quorum si argumenta recte perspexeris, Horatium a singulis, quae sensibus percipiuntur, ad communem aliquam sententiam mente conceptam ascendisse denegabis. Hoc enim rerum oculis tanquam obnoxiarum ordine quum plerumque vividior reddatur oratio, eam satiris formam non primam solum, sed aptissimam quoque poetae nostro jure selegendam fuisse censemus. Verum tamen hujus poeseos naturae non adversatur e principio generatim praemisso singula, quibus res subtiliter dicta illustretur, exempla nectere; vegetioris enim est ingenii, uno tanquam oculorum obtutu res oblatas judicare, judiciumque quasi rerum animo perceptarum summam paucis exprimere, quod judicium verum esse rerum deinceps singularum enumeratione contemplationeque confirmatur. Itaque jam in prooemio de re, in qua exponenda totum versabitur carmen, universe poetam loqui, et subinde rerum species, e quibus illa cogitatio nata sit, adjicere haud alienum est a satiris. In ipsa enim vita communi crebro ab hominibus ingeniorum acumine valentibus animique laetitia mirum in modum erectis, quicquid de vitio aliquo vel errore senserint, praeter opinionem temere ac salse dictum accipimus, quod deinde ludificantes ridentesque exemplis ab hominum societate vel rerum natura captis, ne temerarii exprobrentur cavillatores, illustrare student; qua re omnino docent, se iis, quae facete et breviter et acute velut ex tempore locuti fuisse viderentur, ad pristinas potius revertisse sententias.

*) Quid Horatius de his vetustioribus poetis judicaverit, Cels. *Manso* in libro: Vermischte Abhandl. p. 87. exposuit.

Cujus rei documentum praebet Sat. I. 1, cujus exordium est: „*Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa Contentus vivat, laudet diversa sequentes?*“

Ex his enim verbis in causas humanae inconstantiae Horatium inquisiturum esse patet, hancque sententiam recte existimabis hujus satirae argumentum, quod ad rei veritatem comprobandam singulae deinceps excipiunt res, quas poetae per suae ipsius vitae cursum saepius oblatas quotidie observare licebat.

Miles enim annis provectior fortunatum laudat mercatorem, contra mercator militiam potiorem esse praedicat; agricolae invidet juris consultus per consultores inde a prima luce fatigatus, ille „*Solos felices viventes clamat in urbe*“ quamvis nemo, si quis deus permisisset, vitae conditionem mutare velit. Deridendo autem mortalium inconstantiam poeta peculiare genus hujus vitii in mentem revocavit, quo forsitan permulti, quibus arctiore vinculo Horatius fuit junctus, tunc laborarent, avaritiam dico, qua fit, ut avari, ne opes assidue collectas usu diminuant, ingente sollicitentur pavore.

Pergit igitur, quam ineptae, quamque ridiculae hae sordes sapientissimo cuique appareant, demonstrare philosophi severitatem simulans, sed orationis conformationi pariter ac vocibus exquisitis aptisque in hac carminis parte comparationibus lepidam adspersit ironiam, qua Flaccum sordidos castigasse homines sentimus. Praecluso denique omni, quod plerumque homines avari aviditati quaerere solent, deverticulo et latebra, quum veritati sententiae his versibus exornatae:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum

vel in opibus acquirendis conservandisque locum esse brevi et dilucida narratione exposuisset, poeta ad rem, quam exordio proposuit, rediit admiratus, avaritiam insatiabilem, licet stultissima agnosceretur, tamen praecipuum animi sua sorte non contenti esse fontem, eique gravem adferre perturbationem; *avarus* enim hoc loco non ille tantum appellatur, qui *sordidus* pecuniam corradit, sed quicunque assiduis laboribus ea, quae non habet, appetit alienisque inhiat. Itaque si vera sunt, quae de hac satira disputavi, carmen illud in his potissimum sententiis, quae ejus dispositionem efficiunt, haud dubie vertitur. Mortales plerumque iis, quae habent, non contenti illos, qui diversum a suo vitae genere sequuntur, felices praedicant, cujus rei fons et caput *avaritia*, quae, ne insulsa derideatur, nec ullo praetextu nec speciosissimo nomine fit, existimetur necesse est. Unde mirum, quod tantus sit eorum numerus, qui avari majora semper appetunt. Caeterum poetae, ut animum hominis non contenti, tanquam alia induta specie, v. g. studio reliquos quocunque modo, sive recte, sive vi, ipsa pietate aequitateque neglecta, honoribus et auctoritate supperandi, hoc sermone describeret, hujus satirae fini his verbis imposito: *Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum Dicat et exacto contentus tempore vita Cedat uti conviva satur, reperire queamus*, novam quoque cogitationum seriem adjungere licuisse facile videmus, cui revera exemplum ab auriga „*quum carceribus missos rapit ungula currus,* equis suos vincentibus instante pe-

titum plane respondisse quisque concedet. Nam permultas hujuscemodi res vitae humanae communes vegeta sibi mente finxisse poetam verisimile est. Sed ne uberiore et verbosa rerum narratione lectoris taedium moveret, cogitationis ubertati tanquam frenis injectis subito sermonem insistit vultu graviore, quo profiteri videtur: vobis nulla re contentis sane multa alia, eaque magna vitio verti possunt, sed ne vos tandem exacerbati me castigatorem plagiarium exprobretis: *Jam satis est: ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes* verbum non amplius addam, quem doctum ἀρεταλογον etiam alibi (Sat. I. 3, 139.) risui dedit.

Jam vero iis, quae de oeconomia hujus satirae disputata sunt, recte perpensis, neque in ea rerum ordinem desiderari, neque in fine orationis conformationem duriorem esse existimabis, ut cum Heindorfio hoc carmen, licet non omnibus suis numeris absolutum esse assentias, primum hujus generis specimen putandum esse censeas, verbaque, quibus prima Epist. lib. I. ad Maecenatem missa orditur: *Prima dicte mihi, summa dicende Camoena*, sensu strictiore ad hoc carmen, quo primum Satirarum librum fautori suo humanissimo grato animo dedicavit poeta, referas.

Neque me audacius fabulae non scenicae finem ope tanquam vultus sententiis congruentis, id quod hodie signo abrupti sermonis in scriptorum libris indicatum videmus, cum reliquo hoc carmine, ut totum sit, conjunxisse arbitror, quod forma dialogi satirarum indoli propria, quae propter vividiorem, qua insignitur, orationem scenicis proxime accedit fabulis, hanc rem etsi non probare, tamen excusare mihi quidem videtur. Re vera autem carmen satiricum cum dramatico genere poeseos affinitate quadam junctum esse, multisque, quibus scenicae fabulae splendent, virtutibus insigne esse, jam ex satirae romanae origine supra commemorata liquet. Rei enim naturae convenit, homines praetereuntes atque socios, quum festis diebus ab agrestibus laetis per ludum et jocum deriderentur, non tacitos sese derisorum petulantiae dedidisse, sed regessisse potius convicia, quibus temere vexabantur, et dure ac rustice verba fudisse salsa et ludicra verisimillimum est. Ut Theocritei pastores, Virgilliani Menalcas et Damoetas Ecl. III. et scurrae in Horatii Sat. 1, 5: sic haud dubie homines isti et animi et corporis robore valentes cavillationibus et ludibriis alter alterum superaverint, et quod exemplum Horatius Sat. 7. 28, ut nimiam P. Rupilii Praenestini acerbitatem et maledicentiam, qua Persii Clazomenii convicia regerebat, repraesentaret, optime adhibuit, non inepte ad primam et vetustissimam satirarum formam referes. Quae igitur Flaccus Ep. II, 1, 139. coll. v. 145 de Fescennina licentia monuit, etiam de satira affirmari licet, quae ex eadem lascivae hilaritatis petulantia procreata versibus alternis, quibus opprobria rustica fuderunt *agricolae prisci, fortes parvoque beati, Condita post frumenta*, perspicuam satis primae satirarum formae speciem supeditant. Quos quum praeterea versus alternos cum motu et saltatione, quae comes est ingentis animi laetitiae, conjunctos fuisse compertum habeamus, ea rusticorum ludibria proxima fuerunt ludis scenicis, ut postea salva priscae hujus oblectationis natura ludiones ex Etruria acciti facillime eas *saturas* (hoc enim nomine Livius lib. 7, 2 primos, qui tunc ab Etruscis instituti erant Romae, ludos scenicos appellavit,) scenae accomodarent, easque modis impletas descripto

jam ad tibicinem cantu motuque congruente peragerent. Quam rem ita se habere, celsissimus ille Wachsmuthius Valerii Maximi lib. 2, 44 auctoritate adjutus jam annotavit. Itaque factum est, ut poeta noster ingeniosus dialogi formam satirae romanae origini et naturae propriam et principalem non plane repudiaret, sed ea ad vim ejus augendam docte beneque usus per omnes libr. II. satirae 1, 3, 4, 5, 7, 8, partes sermonem tribueret certis personis, in aliis autem, in quibus sive rem aliquam ipse narrat poeta, sive unum aliquem secum loquentem aut meditantem inducit, repente transiret in sermones alternos, cujus rei exempla praebet satira altera libri secundi inde a versu 99, ubi hominem a probo illo et rustico Ofello admonitum se defendentem exhibet, vel denique ipse cum adversario colloqueretur.*)

Simili modo Sat. I. 9. eum, quum in via sacra ambularet, cum homine molesto, qui se doctum habebat, colloquentem invenimus. Quam jucunde describit Flaccus operam, ut urbane tandem ab eo discederet, impensam, ipsaque, quae vates misere vexatus, *cum sudor ad imos Manaret talos*, tacitus ajebat, notata legimus, quo fit, ut carmen illud jucundissimum sermonibus alternis eo tenore progredientibus scenicae fabulae speciem aperte prae se ferat, quin imo deletis quibusdam transitionibus ipsa scenica existeret fabula. Cui vero satirae dialogi forma non est, certe, ne languescat oratio, longiores plerumque sermones *interrogationis* figura, lumine illo et sententiarum verborumque ornamento optime interrumpuntur. Sed non tantum rerum dispositione et ordine juncto cum apta et exquisita conformatione ingenium priscae Romanorum satirae jam ex artis legibus politae docte ac perite retinere studuit Horatius: verum etiam verborum translationes et rerum imagines comparationesque potissimum e vitae communis conditionibus, in quibus vis quaedam comica inest, quaeque hujus poeseos originem prodant, ad haec carmina exornanda sagaciter assumsit. Sic in Sat. I, 1. poeta sententiam: si ita pergis res plane sibi contrarias componere, his verbis expressit: *pergis pugnantia secum Frontibus adversis componere?* quae voces praeter gladiatores inter se pugnantes et tauros feroces etiam haedos petulcos, qui adversis frontibus se invicem petentes risum movent, sane lectoribus in memoriam revocant. Ubi Jovem haud immerito propter hominum modo aliquid appetentium, modo idem recusantium inconstantiam, quippe qui vitae conditionem, si datum esset, nullo pacto mutare velint, ira exardescentem proponit, ridicule hunc deum, quem patrem deorum hominumque veteres coluerunt, *ambas iratum buccas inflantem* repraesentat. Hominem locupletem, qui *millia frumenti sua triverit area centum*, sed ventre suo non plus quam pauperrimus quisque capit, salse comparat cum servo, qui *reticulum panis venales inter onusto Forte vehat humero*, sed *nihilo plus accipit, quam qui nihil portarit.* Poetam, qui ridens verum docet, confert cum ludi magistro, qui pueris dat crustula blandus, *elementa velint ut discere prima.* Facete porro homo avarus, qui nummos tantum in arca contemplans nullum ex iis usum capit, *congestis undique saccis* fingitur indormiens inhiante ore, qua ridicula sane imagine summam sordidi istius cupiditatem bene expressam videmus. Jocularis etiam est invocatio, qua miserum quemque, qui argento omnia

*) Vid. Sat. I, 1, 41 - 104.

postponendo nullum habet amicum, carpit: *Infelix operam perdas, ut si quis asellum In campo doceat parentem currere fraenis!* et Sat. 1, 9, 20: simili usus est imagine, ut indignationem exprimeret, qua, quum homo iste molestus, qui Horatium invitum prosequebatur, affirmaret: *nil habeo, quod agam, et non sum piger, usque sequar te,* accensus est. Addit enim locutione tam elegante, ut demissum ejus animum ipso verborum sono percipere credas: *Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus, Cum gravius dorso subiit onus.* Quis est enim, qui non ridens Horatium ex hac iniqui aselli imagine sibi fingat capite in terram defixo, imo timore, ne ineptiis istius garruli succumberet, dorso paululum curvato torvoque vultu in via sacra incedentem.

Pariter aptum laudabis facile illud et sermoni quotidiano simile dicendi genus, quo in his satiris usus est, cui passim rusticae quoque et asperae admixtae leguntur locutiones, quae vel vocibus continentur propter res, quas notant, obscoenis, ut: *cunnus, inguen, clunes, nates, merdae — cacare, mingere, pedere, futuere* et alia, (Cf. Sat. I, 4, 42. II, 6, 17.) vel usu quodam novo atque inusitato ad res referuntur, quibus urbana loquendi consuetudine vulgo non junguntur, sic Horatius adhibuit verbum: *recalcitrare* de Augusto moroso. Sat. II. 1, 20; *chartis illinire* pro: *scribere* de satiris, quas ipse fecit; *emunctae naris* Sat. 1, 4, 8 de acutiore Lucilii ingenio, quo subtiliter res judicabat; *caput scabere* et *vivos rodere ungues* Sat. I, 10, 71 de eodem satirarum scriptore, si Horatii aetate vixisset, ideoque majore arte versus componere coactus fuisset; *cimex* ibidem v. 78. de Pantilio adversario, qui nimis mordax satiras Horatianas perstrinxisse videtur. Quas quum locutiones, licet pudicitiae nonnunquam intempestivae, tamen rebus exprimendis ubique convenientes oratione insertas esse negari nequeat, et omnino Horatium has voces ab animi benevolentia et candore profectas tanquam placido et hilari vultu jecisse ex ipso illarum sono et omnis orationis tenore conjiciatur: re vera nisi falsa interpretatione et calumnia lectoribus offensionem aliquam offerre non possunt, quae quidem res bilem commovit hominum Flacco aequalium, quippe qui invidia et ambitione compulsi, ut adversariorum obtrectatione ipsi in altiorem ascenderent locum, vitia aliorum maligne deridebant. Quid igitur mirum, si lepidis illis, sed satirico sale conspersis sermonibus, quos satirarum titulo Horatius edidisse videtur, ab hoc poeta probra et maledicta in se collata cives illius aevi suspicarentur, quamquam ingenuitate quadam sine ira atque studio hominem in vario, eoque miro vitae statu repraesentare in animum induxerat, ut Sat. I, 9 et II, 6 vel Sat. I, 1, in quo carmine juris legumque peritum nobis proponit multo labore vexatum, *Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.* Ita Sat. 1, 2 moechum conspicimus, cui, quum maritus rure recurrisset, janua fracta, dum canis latrat et undique magno domus strepitu resonat,

Discincta tunica fugiendum est ac pede nudo. v. 132.

Aliquoties homines et ingeniis et moribus ipsaque civium suorum aestimatione diversissimos audacius ab hoc poeta compositos esse invenimus. Namque ita vis comica nascitur. Sic Sat. II, 1, 24-26 Millonius scurra, qui saltat ebrius:

ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis

cum Castore et Polluce commemoratur, ut varia diversaque mortalium studia indicentur, uti Hector et Achilles cum Rupilio et Persio Sat. I, 7 comparatur, ut hominum istorum lites et pertinacia ad sensus revocentur; haud raro res dissimillimae, quarum diversitas eo magis oculis objiciatur, oratione sese excipiunt, ut *granaria* et *cumerae*, illis enim homines utebantur locupletes, his pauperes erant contenti; aut *urna* vel *cyathus*, quae mensurae perexiguae, ubi simul cum magno flumine, qualis acer fuit Aufidus, memorantur, ut insatiabilem illorum, qui parvis non contenti ampliora usque atque largiora appetunt, cupiditatem oculis nostris tanquam intueamur, sane conficiunt. Passim quoque vates ad genus quoddam hominum stolidorum et inepte agentium deridendum certum quendam ea stultitia ac dementia famosum nominatim inducit hominem, ut *Maenium* ad senum quorundam sorditatem notandam, *Nomentanum*, ut personam gerat vappae ac nebulonis, *Fabium*, ut partes subeat philosophi loquacis, *Crispinum*, ut et loquacem et verbosum agat poetam.*) Neque lepidas et sui et tum praeterlapsi temporis fabellas, quae Romae circumferebantur, ut res pertractatae sub adspectum lectoris venirent, eoque plus delectationis haberent, plane repudiavit. Cujus generis est fabula, omnibus tum Romae nota, quae materiam satis ludicram praebuit Sat. I, 7. Similem intexuit Horatius Sat. I, 1 dicens, hominem quendam sordidum et divitem Athenis populi contemnere voces sic solitum esse v. 66 et 67.

— — Populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simulac nummos contemplor in arca.

His igitur rebus multisque sermoni admixtis hyperbolis non molestis, quae, ubi legentibus occurrunt, hac re ipsa risum excutiunt, exstitit facetum illud presse et graviter dicendi genus, quod artificiosum quidem, sed non fucatum dissipata ac plerumque parum inter se nexa copulataque oratione, quae haud raro in proverbiales abit locutiones, nuspiam languescit, verum ubique pariter, in singulis verbis ac toto carmine, tanto lepore defluit, ut ex eo priscae Romanorum satirae reluceat ingenium. Itaque carmen istud Graecis intactum ab Horatio eximia, qua satiras Ennii et Lucilii excoluit, arte non immutatum, sed ad summum perfectionis gradum est evectum; illorum enim satiras, qui Flaccum antecesserunt, si verborum ornatum ac membrorum compositionem respexeris, quum minus perfectas arteque compositas existimes, quas vero poetae Horatium secuti fecerunt, iis leporem nativum et vere facetum, per quem omnis satira viget, jam jam evanuisse reperias: in Horatii satiris rerum simplicitatem et artificiosam dispositionem una cum verborum festivitate ac minime fucato nitore conjunctam admiraberis, iisque sane perfectissimis carminibus vatem Venusinum summam inter satiricos Romanorum poetas laudem adeptum esse consenties.

Atque haec quidem hactenus, finemque impono scriptioni numeris suis nequaquam absolutae maxime dolens, quod corporis imbecillitate e morbo diuturno

---

*) Conf. Sat. I, 1, 102 et 104; 8, 11, II, 1, 22. Sat. I, 1, 14; 2, 134. Sat. I, 1, 120; 3, 139; 4, 14.

atque gravi residua, quominus diligenter in rem propositam inquirerem, impeditus sum. Sed ut benevolus lector, quae de Satiris Horatianis hoc in specimine disserui, uno in conspectu videat, res disperse et diffuse dictas unum sub adspectum subjiciam. Jam vero

1. Satirae Horatianae quales sint, ex earum origine atque fine cognoscitur. §. 1.

2. Profectae sunt ab animi hilaritate et nativo lepore, earumque naturam e laetitia populari inter Italos frequente Horatius puer jam didicit. §. 2.

3. Virtutis ac patriae amantissimus scripsit Flaccus Romanorum pravitate commotus satiras ad se ipsum vitiorum irrisione delectandum hominumque sibi aequalium mores emendandos. §. 3.

4. Castigatis igitur animi vitiis atque erroribus Horatii satirarum argumenta potissimum continentur. §. 4.

5. Caeterum Horatius, qui primus, ut satirae romanae farrago *una* et *simplex* esset, persecutus est, in his ipsis carminibus arte compositis priscae Romanorum satirae ingenium retinuit. §. 5.